

Letter 523: 22 November 1533, [Bern, Berchtold Haller] to Capito and Martin Bucer

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 158, no. 11, p. 19.

Gratiam et pacem a Domino.

Scio vos, patres ac fratres, mirari, qui se res habeant Salodorensium, quae teste prima facie bellum exitiale minabantur, sed sic finem sortitae sunt, ut Christus perpetuo postremas habeat. Nuncius ille legatis nostris aliquot diebus servivit. Is, dum volueritis, tragediae multam, immo maximam, referet partem; summam brevissime perstringam. Ante triennium, quando ego illic verbum administrabam, ab evangelicis, quemadmodum et nunc, ceperat seditio, sed opportunior. Hanc sedabant Bernates, Friburgenses, Basilienses et Bielenses, datis conditionum pacis tabellis. Has papistarum pars nusquam servavit. Non solum concionatores sed et plebem ipsam, ab omnibus urbis templis profligavit, ut in viculo quodam cogere audire verbum. His et aliis insidiis permoti maioraque pericula timentes, ad primam horam pomeridianam 30 Octobris armati statuerant, locum tormentorum, templum S. Ursi et pontum (qui omnia coniuncta sunt) occupare atque aliud nihil expostulare, nisi ut literae pacis factae servarentur. Tam aberat, ut quempiam laedere conarentur, sed prodicione cuiusdam inter eos ita confusi, ut nescirent alter alteris aut quid agerent. Horologium enim consulis iussu, qui per proditorem omnia resciverat, suspensum est, ut dum primam expectarent, nullam horarum sonaret. Hinc tandem citra ordinem et paulatim e domibus ad locum accelerarunt statutum; altera pars praedicta loca fortiori manu occuparat et per tecta tormentis eos abigere iam parata. Utramque itaque partem urbis consul abegit, ut in crastinum senatus decretum super expostulatione sua expectarent. Nostri negotio minus fidentes, pontem transierunt in suburbium, fracto ponte, seseque vallarunt, ne ab aliis obruerentur.

Senatus noster quam primum rescivit legatos misit decem, inter quos consul ab Erlach questor, vobis noti. Advenere arbitri ex omnibus Helvetiorum pagis, Valesia, Constantia, S. Gallo, [et] episcopi Basiliensis, etc. Nostri itaque ante negocium procrastinaretur, in Wangen et Wiettlispach diluculo secesserunt, quae sunt oppidula nostrae ditionis. Illicque congregati sunt, ut aiunt, 1500 e ditione Salodorensium, civibus constantissime adiuncti. Cum itaque status et origo tragediae versaretur circa libertatem Verbi, noluerunt Antronii quicquam in eo negotio tractare, nec ulla ratione permoneri potuerunt. Constantiaque sua alios fregerit, ut primum seditiosi punirentur et inpristinam obedientiam redigerentur, id quod quisque pagus alteri foederis vigore dicit. Quo facto, si quid in causa fidei agendum foret, permetterent nostros ipsos non assessuros. Petierunt itaque pontificii urbis primum ex evangelicis 8 urbis cives, Hugi Starchi, etc., hos morte nimirum multari nitebantur. Tandem eo ventum, ut pecuniaria multa quibusdam satis ampla iniungeretur vita tum octo illorum donata, modo exularent, donec et ipsi privatim componi possent suam causam, nimirum qui sunt aliis ditiores. Consenserunt et nostri, immo sponte noxam confessi, muldani obtulerunt se soluturos, modo verum habeant libertatem (nostros voco Salodorensium evangelicos), aut inducias aliquot dictis admitterent, quo nimirum nostrorum exercitus semel commode dirimeretur. Inter id rerum, Bernates decrevere mulctam illam si iuxta arbitratorum gratiam omnino soluendam atque in hoc se servaturos federa et civitates. Ceterum, quaeritur propter religionem hec dissensio et seditio exorta sit. Precentur omnes Helvetios, ut quod ad hunc quo pertinet componant quod dum omnino fieri non posset aut cum iactura Verbi, legati nostri domum redirent, utcunque re infecta, modo coram omnibus Helvetiis aut Salodorensibus protestarentur, se neutram partem adiuturos. At ditionem suam sic custodituros cum armata manu, ut si qui contra eorum voluntatem niterentur transire, eos abigere vellent. Hoc autem sic intelligite, nec Antronios, nec Friburgenses Salodorensibus succurrere

posse exercitu, nisi per ditionem nostram. Haec omnia facta esse intelligo, sed miserae tragediae finem hoc fecit.

Quod Salodorenses nimirum novo iam foedere ad tutandam fidem pontificiam se Antroniis et Valesianis iunxere, statueruntque ut qui cives urbis vel agri incolae esse velint, iurent se servaturos et obedituros, quicquid per suffragia decretum fuerit. Iam per suffragia maiora in urbe obtinet pontifex. Hinc nostri ad sua non admissi sunt, nisi prius homines iurent, et quemadmodum iurarunt, in templum ad missam, ut fertur, adire coacti sunt. Haec autem omnia potuerunt minis suis Antronii coram 1500 viris Salodorensium evangelicorum congregatis. Tametsi in agro non dum incaepere, ipsos adigere ad idolatriam. Mihi tamen nulla amplius spes est relicta. Ad festum Andreae aiunt comitia Badae instituta, illic si quid velit de libertate verbi conqueri possint, sed nihil fiet. Sunt enim nunc 7 qui prius quinque erant pagi; hinc per suffragia sua nostros vincunt. Restant adhuc 8 viri, qui nondum rediere in gratiam. Hi crastino die senatum nostrum adibunt. Horum omnium causam ubi scire volueritis facile dixerim. Nempe foedera, quae sic habent: *Was in eim ietlidgen ort und oberkeit das meer ist, das sol gelten, das sol ir ein ort dem andren helfen schirmen und so sich das minder enport, das soll helfen straffen und gehorsam machen.*

Haec sunt, quae vobis scribere volebam, modo ne ex me prodiisse quisquam mortalium resciat. Ceterum quemadmodum uterque alter labore alter impensis in Paulo enarrando et imprimendo laboratis, obsecro per miserationes Dei, primicias, si quas, ut non dubito excussistis ad me mittite. Bona fide servabo, ne ulla ex parte officiam calcographo. Valetate et Deum orate pro constantia et unanimitate urbis nostrae, nam pontificiis circumvallati, primi erimus, quos a Christi confessione violentia bellica abigere conabuntur, quocumque id pacto possunt, quaerent autem et fingent occasionem, propter ditiones quas cum illis communes habemus. Iterum valetate. Otho in angulo suo adhuc silet, mihi vicini. Rursum valetate, patres et fratres mei charissimi, atque mihi angulum apud vos parate, tametsi fuga minime mediter et profligatus tamen ad vos confugiam. 22 Novembris anno '33.

Vester hospes.

De aliis alio tempore abunde scribam. Vos curate, ut Basileae virum honoratum fidum, Grineum et Miconium, qui vestras nobis reddi curet literas. Ex agro Salodorensi 30 nimirum concionatores evangelici profligabuntur, ubi voto Salodorensium successerit.

[Address]: An die erwidigen, hochgelerten Doctor Wolfgang Capiton und Martin Butzer, beed predicanten ze Strasburg, sinen insunders gunstigen Herren.